

*DISSE*RAT*ATI*O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE ⁵³
EO QVOD IVRIS EST CIRCA EVM
QVI SPONTE SESE ¹³
OFFERT
IN IVRE ^{1744, M.}

QVAM
SVB AVSPICIIS CLEMENTISSIMIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI FRIDERICI
HASSIAE LANDGRAVII RELIQ.

EX AVTORITATE ET DECRETO
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRO
SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORIS RITE CONSEQVENDIS
EXCELLENTISSIMORVM ACADEMIAE PROCERVM
BENEVOLO EXAMINI
DIE VII. FEBR. MDCCXLIV.
H. L. Q. C.
PVBLICE SUBMITTET
IOANNES WVNDERLICH
HAMBURGENSIS.

MARBVRGI CATTORVM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI. ACAD. TYP.

DE
S
C
O
E
G
A
D
I
C
P
O


D
O
M
I
N
I
F
R
I
D
E
R
I
E

W
E
L
C
O
M
E
T
H
E
R
O
D
I
E
R
I
E

O
N
A
N
I
O
I

INCLVTAE AC S. R. IMPERII
LIBERAЕ REIPVBЛИCAE HAMBVRGENSIS
SENATVI SPLENDIDISSIMO
VIRIS
*ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS,
EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMIS,
AMPLISSLIMIS ATQVE PRUDENTISSIMIS*
CONSVLIBVS,
SYNDICIS,
SENATORIBVS,
PROTO - NOTARIO,
SECRETARIIS
ET
ARCHIVARIO
PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS
AC IMMORTALITER PROMERITIS
*DOMINIS, PATRONIS, MAECENATI-
BVS AETERNV M DEVENERANDIS,*

HOC
QVALECVNQUE STVDIORVM SVORVM SPECIMEN
IN
SVMMAE PIETATIS ET PERPETVAE
OBSERVANTIAE MONVMENTVM
CVM VOTO
OMNIGENAE FELICITATIS
ET
FAMAE NVNQVAM PERITVRAE
OMNI
QVA PAR EST ET QVA DEBET ANMI RELIGIONE
DAT DICAT CONSECRAT
TANTORVM NOMINV
ARCHIVARIO
LATERIAE PATRIBVS OTTIMIS
AC IMMORTALITATIS MONUMENTIS
DOLMIS
obsequiosissimus cultor
IOANNES WUNDERLICH.



Si quid aliud, hoc certe verum est, quod *fine* Magistratibus nec domus *vlla*, nec ciuitas, nec gens, nec hominum *vniuersum* genus stare pos-
sit, nec rerum natura omnis, nec *ipse* mundus,
vti CICERO ita recte enunciauit. Quous-
que autem eorum auctoritas sese exserat, non
facile patet, nisi paullo penitus introspiciantur leges, qui-
bus ea nititur, iisque singulares casus applicentur, e qui-
bus appareat, in quanta constituti sint dignitate, & quae
cum ea coniuncta sit potestas. Ut enim cetera omnia su-
perfedeamus, hoc saltem attingere nobis liceat, quod ni-
mirum iudici concessum sit, ne eius officium eludatur, vt
possit aliquando eos, qui ad suam iurisdictionem perti-
nent, et quibus neque naturale impedimentum obstat,
neque legale, cogere, vt sibi, in loco publico ius dicen-
ti, aliiquid praestent. Exemplum habemus in acutissima
iuramentorum materia. Nullum enim est dubium, quin
iudex propter aliarum probationum inopiam aut Reo ad
sui purgationem, si pro eo stet praesumtio, aut Auctori,
ad litis victoriam reportandam pro personarum et causae

A 3

cir-

circumstantiis, ne dicam iuramentum deferre, quin imo et cogere possit, vt iuret. a) Indeque tale iuramentum nomen accepit *necessarium*, cum in arbitrio partium non sit, num idem praestare vel referre velint, sed necessario praestandum, nisi quis causa cadere velit, de quo vberius et copiose egit VINNIUS Libr. I. *Quæstion.* cap. 43. b) Aliud occurrit exemplum in materia de testimonio dicendo, quippe explorati iuris est, per l. 16. Cod. de test. *vnumquemque non solum in criminalibus iudiciis, sed etiam in pecuniariis cogi, testimonium perhibere, de his, quae nouit cum Sacramenti præstatione, vel iurare, se nihil compertum habere.* Quid clarius esse potest hac ipsa Constitutio-ne Iustinianoi, et quid per se suamque naturam magis verum? Ita enim publicae vtilitati consulitur, ne scilicet veritas in alicuius præiudicium occultetur; itemque in criminalibus testificari non tam est famae huius vel illius detrahere, quam potius in publicam salutem veritatem proferi, ne delicta maneant impunita. c) Neque quenquam

- a) Insigniter huc inseriunt, quae ab Illustri LEYSERO Vol. II. *Meditat ad Pand.* pag. 687. seqq. traduntur, vbi quoque communem fere Doctorum opinionem, qua putant, non posse ab iis, qui cum Fisco litigant, cum effectu iuramentum deferri ipsis Fisci procuratoribus, profligare studuit.
- b) Notandus quoque hic venit Iuris Ciuilis et Canonici difensus in aetate definienda, qua adepta quis ad iurandum cogi possit. Non inique enim disponit Ius Ciuale, minorem, antequam annum aetatis XVIII. impleuerit, ad iurandum cogi non posse: cui tamen aduersatur Ius Canonicum, quod, minores post annum XIV. cogi posse, expresse constituit in cau. 15. 16. XXII. quæst. 5. Confer. illustris BERGERI *Electa Discept forensi*. Titul. XVIII. pag. 457. seqq.
- c) De testibus ad testimonium compellendis solide differenter euolue Illustr. BERGER. I. c. toto Titulo XXII. p. 622. seqq.

de eo quod iuris est circa eum qui sponte sese offert etc. 7

quam latere potest, idem ius Magistratui competere in tutela offerenda, licet eius administratio molesta sati sit atque periculosa. Ad hanc enim omnes cogi posse, qui- cunque illi se subtrahere cupient, ni forte iustam aequem ac in Iure nostro expressam habeant se excusandi catisam, omni exceptione maior est sententia, hac potissimum ra- tione generaliori munita, ne defint, quia necessaria in Re- bus publicis munera subeant per l. i. ff. de vacat. et excusat. muner. Haec enim et inuitis recte imponuntur, modo idonei sint aetate, qualitate et moribus, id quod vel ma- xime inuestigare Magistratum oportet. Neque enim fa- cultates, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut bona elec^{tio}, vel voluntas et benigni mores, vt est in l. 21. §. 5. ff. de tutor. et curat. datis. Denique etiam arbitramur, hanc laudatam Magistratus auctoritatem locum vtique sibi vin- dicare posse in negotiorum gestione. Quam cum eam ob causam introductam esse nouimus ex §. 1. Instit. de obli- gat. quae quasi ex contr. nasc. ne absentium, qui subita fe- stinatione coacti, nulli demandata negotiorum suorum admi- nistratione, peregre profecti, desererentur negotia; non im- merito inde colligimus, Magistratum hac omnino gaude- re facultate, si nemo aliis sese offerat, adigendi proximos aut amicos, vt absensis negotia ex fide gerant. d) Ve- rum

d) Plura alia adhuc supersunt, quae commode hoc referri pos- sent, et inter haec praecipue, quod nemo regulariter cogar- tur, vt res suas vendat: cogitur tamen quis et iusto quidem pretio vendere, si singularis necessitatibus et utilitas publica il- lud exigit. Vide STRVII Syntagma, Iur. Civil. Exercit. XXIII. thes. 6. et ad h. l. PETR. MULLERI annotat. Et licet quilibet rei suae sit moderator et arbiter per l. 21. Cod. mandati vel contra, adeoque possit rei suae premium definire; Magistra- tus

8 CAP. I. *De iure circa eos, qui ad iuramentum.*

rum his diutius immorari propositi nostri ratio non permittit. Haec enim eo tendit, ut pro ingenii modulo et virium tenuitate, quanta etiam illud fieri poterit breuitate, peruestigemus illud, quod iuris est circa eos, qui sponte sese ad haec similiaque negotia offerunt. Ne autem haec promiscue a nobis tractentur, placuit, sequentem ordinem obseruare, ita, vt

CAP. I. *de iure circa eos, qui ad iuramentum,*

CAP. II. *qui ad testimonium dicendum,*

CAP. III. *qui ad tutelam,*

CAP. IV. *qui ad negotiorum gestionem sponte se offerunt, agetur.* Faxit Deur feliciter!

CAPVT I.

§. I.

Iusiurandum sane maximum est expediendarum litium remedium, in foro vbiique receptum, de cuius natura, obligatione atque effectu cum tot exstant Doctissimum Virorum commentationes, nemo facile desiderabit, ut ea omnia hic a nobis repeatantur. Sufficit enim, in genere aliqua adduxisse, scopo nostro quam maxime inferuentia. Praesupponimus itaque, quod omne iuramentum per se sit obligatorium, idque ex ipsius essentia prono alio fluere persuasum habemus. Est enim reli-

gioſa

tus tamen ob uitilitatem et necessitatem publicam premium rerum ad victum imprimis humanum spectantium v. c. panis, carnis, frumenti, salis etc. statuere potest per l. i. §. II. ff. de offic. Praef. Vrbi, l. i. Cod. de Episc. aud.

giosa alicuius rei adseueratio, legitime facta per invocationem diuini numinis in testem *a*): proinde necessario sequitur, ut omnis iuramentorum usus, omnisque ratio interuenientibus signis sese obligandi ex humana vita tolleretur, si quis vlo modo impedire velit, ne effectum aliquem hic actus habeat, cui producendo idem est institutus. *b*) Hinc nemo amplius dubitat, quin omnes quotquot excogitari possunt cauillationes aut reseruationes mentales, si a quoquis alio, ab hoc certe negotio alienae esse debeat, eumque, qui iurat, quamuis non habeat vere se obligandi animum, tamen in conscientiae foro omnino obligari. *c*) Verum enim vero, si ad Praxin hodiernam huius doctrinae paullulum attendamus, sat multa exempla nobis suppeditarent, qui in publicis iudiciis iustitiam administrant, eorum, qui ex malitia partim, ut ex alterius damno fiant locupletiores, partim ex ignorantia,

B dum

a) Ex innumeris illis ritibus symbolicis, quos veteres Germani in iurisiurandi praestatione adhibuerunt, ne quid religionis deficeret, aliquos adduxit Celeberrimus etiam postfata Io. GUIL. HOFFMANNVS in *Specimine Iurisprudentiae Symbolicae Veter.* Germ. p. 35.

b) Conferatur, qui ex instituto hanc materiam pertractauit Celeb. PUFFENDORFIVS in aeterno Opere de *Iure Nat. et Gent.* P. IV. c. 2. §. 5. 6. vbi quidem statuit, *iuramenta per se non producere nouam obligationem, sed obligationi in sese validae velut accessorium quodam vinculum superuenire*, quae tamen nostrae sententiae contraria non videntur.

c) Non enim aliter, quam ut is intelligit, qui desert, iuramenti verba sunt accipienda, sine fuso vlo, sine aequiuocatione vlla, vt est apud BRVNNEMANVM in *Comment.* ad l. 3. ff. de *iure iuri.* adde cap. 9. Causa XXII. quaest. 5. et SAM. de COCCEI *Ius Controversi.* pag. 615.

dum leuiter rem tractent, d) ad iuramenti praestationem veluti cum impetu se rapi patientur, licet sibi ipsis male prospiciant, simulque aliis deliberata quasi mente detrimentum adferunt: ut proinde in eos bene quadrent Plinii verba l. III. Epistol. quod multi famam, conscientiam pauci vereantur.

§. 2.

Et ex his quidem hanc veritatem promanare arbitramur, quod nempe ad iuramentum non temere quicunque sint admittendi, ut in qua veritate omne fundatum postea dicendorum positum est. Saltem autem de judiciali e) iuramento nobis sermo est, quod in iudicio vel pars parti, vel iudex ex officio defert, quories nempe aliae probationes deficiunt. f) Quod cum recentiores ICti in suppletorium et purgatorium distinxerint, g) eorumque

d) Vtri enim nec supersticio, ita nec impietas in iureiurando ferenda est. Vtrumque reprobavit dudum VLPIANVS in l. 8. ff. de condit. instit. vbi, nonnulli bominum, inquit, faciles sunt adiurandum contemtu religionis, alii perquam timidi metu diuini numinis, usque ad superstitionem.

e) Quomodo hoc differat ab extrajudiciali, lege sis apud SAM. de COCCII l. c. pag. 628.

f) Haec autem quomodo aestimantur vide apud MEVIVM Part. VII. decif. 375. et 376. itemque Illustr. BERGERVM in Elect. Disc. forensi Titul. VIII. obs. 3. pag. 431. seqq.

g) Hos terminos. Ius nostrum ignorat. De suppletorio quidem arbitrantur Viri Doctissimi, eius fundamentum niti in famosissima l. 31. ff. de iureiur. nomen iamen multo recentius est, et nullibi in toto Corpore iuris legitur. Purgatorium autem penitus Iuri Canonico originem debet, et ad similitudinem Purgationis Canonicae introductum: de quo plura lectioque non iniucunda babet STRVVIUS in Historia Iuris Cap. IX. §. 10.

rumque doctrina vsum hodie praebeat vel maximum, neque nobis haec distinctio displicere potest, certo interim persuasi, quod omnia ea, quae in praesenti §pho tractantur, ad utramque iuramenti speciem commode referri possint et debeant. Ita enim in genere disposuisse Praetorem nouimus, nolle eum in iudiciis aliud iuramentum tueri, quam quod ipsius decreto fuerit vni ex partibus delatum. b) Haec enim indicant ipsius Edicti verba: *si is, cum quo agetur, conditione delata iurauerit*, quae ita explicavit VLPIANVS l. 3. princ. ff. de iureiur.

Nec frustra adiicitur, conditione delata. Nam, *si reus iurauit, nemine ei iuriurandum deferente, Praetor id iuriurandum non tuebitur: sibi enim iurauit. Alioquin facillimus quisque ad iuriurandum decurrens, nemine si-
bi deferente iuriurandum, oneribus actionum se liberabit.* Haec verba satis, ut nobis videtur, declarant rigorem iuris contra quemcunque, qui sponte ad iuramentum accedit. Is enim expresse dicitur *sibi iurasse*, id est, omni effectu destituitur eius iuramentum, quin imo plane idem esse, ac si non iurasset. Praetor enim, ut haec lex dicit,

B 2

id

b) Hinc CEB. STRYKIVS in Vsu Mod. ad Tit. ff. de iureiur. §. 1. Generaliter, inquit, verum est, iuramenta sponte praestita nihil proficeri iuranti, sed potius temeritatem hanc, ex levitate animi profectam, puniendam esse, non tantum, si peierasse deprehendatur, verum etiam ob hoc, quod sine causa iurauerit. Et paullo post: Tunc demum decidenda est causa iuxta praestitum iuramentum, si hoc vel pactio litigantium vel autoritate iudicis delatum sit, per l. 1. ff. de iureiur. Adde Mavim Part. IX. decif. 77. Nec difficile etiam hoc colligi potest ex verbis §. 11. Institut. de actionibus, ubi dicitur, si quis altero postulante iurauerit, quod idem hic denotat ac in lege nostra deferente. Ita enim egregie hoc verbum explicat VDALR. ZASIVS Part. IV. Oper. pag. 84. seqq.

id iuramentum non tuebitur, propterea que nulla exinde nascitur obligatio, nec ab eo exceptio litis finitae, quae regulariter litis ingressum impedit, cum effectu institui potest. i) Ratio autem decidendi, quam ICtus in fine huius legis adiecit, in eo consistit, quia alioquin facillimus quisque ad iusiusurandum decurrent, nemine sibi iusiusurandum deferente, oneribus actionum se liberabit. k) Forte enim

i) Exceptiones, quae litis ingressum impediunt, tam late extenduntur a nonnullis ICtis, ut de hac materia integros quoque libros conscriperint. Verum autem non defuere, qui hunc defectum Processus Iudicarii probe agnouerunt, et animaduerterunt simul, quod haec exceptiones maiorem occasionem protrahendi lites, et difficiliorem reddendi iustitiam, quam eius administrationem promouendi, praebant. In hoc demonstrando, ut alios taceam, operam insigniter dedit Celeb. IOAN. TOB. CARRACH in Diff. de exceptionibus, litis ingressum impedientibus, iustitiae impedimentis Hal. 1736. in qua hanc fouter sententiam, c. 1. de lit. contest. in VI. fundatam, quod tres tantummodo excipiendae sint species exceptionum peremptoriarum, quae ante litis contestationem locum inueniant, scilicet, si litigator excipiat de re indicata, transacta, seu finita.

k) Liceat nobis hic subiictere aurea verba ICti quondam maximi nominis, VDALR. ZASII, qui ad explicationem huius legis accedens, Est, inquit, prava patriae nostrae consuetudo, quod rei se se faciliter offerunt ad iurandum, contendentes, eis praestare iuramentum; hoc enim non posse fieri, praesens lex docet. Frustra enim esset, quicquid circa hoc statuitur, si cuiuslibet offerentis mos geratur. Nam sic in potestate cuiuslibet esset, se ab oneribus obligationum liberare. Et paulo post: Auferenda est occasio, per quam tribuitur via delicto. Si enim litigans posset iurare nemine deferente, facile se se exoneraret ab obligationibus actionis. In potestate autem sua non deberet esse, sit obligatus vel non,

enim iam eo tempore Praetorem experientia satis edocuit, innumeros in foro litigantium reperiri, qui nescio ex qua leuitate aut coeca opinione iustae ipsorum causae ducti, statim vltro se offerant ad iuramentum praestandum, quamuis nulla adhuc adsit praesumtio, quae pro illis militet: ita quidem, vt non immerito de illis dici possit, tantum abesse, vt iuramenti religionem curent, vt potius tunc saluam arbitrentur causam suam, modo semel iterumque eam iureiurando confirmauerint, eoque praestito ab actione ipsa se liberauerint. Hinc igitur nemo non videt, prudenter maxime Praetorem in hoc Edicto omne iuramentum irritum atque inualidum pronunciasse, quod, nemine deferente, ab alterutro partium fuerit praestitum. 1)

§. 3.

Eadem certe dispositio occurrit circa materiam de iuriurando in item. Ita enim perspicue leguntur verba in l. 4. §. 1. ff. de in item iurando.

Deserre autem iuriurandum iudicem oportet: ceterum si alius detulerit iuriurandum, vel non delato iuratum sit, nulla erit religio, nec nullum iuriurandum. Et ita Constitutionibus expressum est Imperatoris nostri et Divi Patris Eius.

B 3

Quae

non, alias fouerentur delicta, porrigeretur ei manus ad delinquendum. Paecta autem sunt improbanda, per quae quis ad delinquendum inuitatur. Tom. I. Oper. pag. 842.

- 1) Et hoc quidem adeo verum est, vt nulla amplius dubitandi ratio superesse possit. Si enim ad Praxin quotidianam oculos conuertamus, in aprico est, quod semper retractetur iuriurandum, quod quis sine praevia delatione aduersarii vel iussu iudicis sponte praestitit. Comprobant hoc, quae leguntur apud illustr. LEYSER. *Meditat.* ad Pand. Vol. III. pag. 59. seq.

14 CAP. I. *De iure circa eos, qui ad iuramentum.*

Quae verba cum ad materiam iurisiurandi in item restringa esse videntur, ultra intentionem legislatoris ea extendere sine audacia nemo nec potest, nec debet. Quamvis mirum sit, quod actor hoc iuramentum non queat ulterio praestare, tametsi pro eo iam pugnet res iudicata, et non amplius quaeratur, num reus debeat, sed quantum. Quoties enim de rei veritate constat, toties cessat ius iuriandum in item per l. 68. ff. *de rei vindic.* Verum autem placuit Iustiniano et Patri Diuo, ad quorum Constitutiones prouocat Vlpianus in hac lege, ut in iudicis arbitrium sit positum, vtrum hoc iuramentum actori deferre velit, nec ne, per l. 5. §. 1. ff. *de in lit. iur.* Nisi enim causa exigat, deferre illud non debet iudex; recte autem defert ob contumaciam rei et dolum non restituenter rem in detrimentum actoris l. 2. §. 1. iuncta l. 5. §. 3. ff. *de in lit. iur. m)* Sed ut ad legem nostram proposiciam reuertamur, ea sat bene comprobat, nisi hoc ius iuriandum in item a iudice delatum fuerit, illud non sustineri, licet multoties actor aestimationem rei suae edixerit, imo et Sacramento confirmauerit. En igitur egregium iterum exemplum, quanto rigore Ius Ciuale proficitur eos, qui coram Praetore sponte se ad iuramentum offerunt, cum hoc ipsum magis ansam ei praebeat arguendi, item eius, de qua in foro disceptatur, non adeo firmo calo niti, ut his similibusque contestationibus opus habeat ad eam corroborandam.

§. 4.

- m) Luber hic annotare, quod tamen iudex possit modum constitui, ut intra certam quantitatem iuret actor, itemque, si iuratum fuerit, vel absoluere reum, vel minoris condemnare per l. 5. §. 1. 2. ff. *de in lit. iur.* licet etiam de affectione iuretur, potest tamen ex officio eam ad aequum et bonum redigere, adde l. 4. §. 2. 3. ff. eod. titul.

§. 4.

Idem iam videamus in iuramento diffessionis, quod est assertio iurata, se instrumentum ab altera parte productum ob vitium vel insufficientiam nec agnoscere nec pro vero habere posse. ⁿ⁾ Et circa hoc iuramentum insignis quaestio moueri solet, si contingat, ut ex pluribus, qui concurrunt, debitoribus alter ad iuramentum diffessionis sese offerat, alter autem instrumentum productum recognoscatur, quid tunc iudici in hoc casu competit? et dubium non est, quin iudex caute inquirere et examinare debeat, an is, qui ad tale iuramentum sese obtulit, causam oblationis idoneam reddere valeat: quae inuestigatio iudicem eo perducet, ut quid pro re nata circa diffensionem ipsam statuendum sit, tanto securius decernere queat. Quodsi enim ad iuramentum sese offerens nullam vel non idoneam causam allegauerit, omnino repellendus, reliqui vero ad recognitionem admittendi erunt. Ita iudicasse Antecessores Marpurgenses Vol. III. *Cons. 26.* n. 66. refert IOAN. GE. FROMMANNVS in *Diff. de iuramento diffessionis*, ex hac cathedra quondam publice ventilata.

§. 5.

Liquet ergo ex iam allatis abunde, quam caute in iudiciis admittantur litigantes ad iusurandum spontaneum et quam maxima in eos cadat suspicio, qui, nemine exigente, iuramenti praefatione causae suae succurrere cupiunt. Sed et is aliquando, qui extra iudicium de re aliqua sponte iurat, non tantum eo ipso maxime suspectum se reddit, verum etiam si dein apparuerit, hoc in praे-

ⁿ⁾ Parum vel nihil illud discrepare a iuramento credulitatis putat PETR. MULLERVS in *annotat. ad Struui Syntagm. Iur. Civ. Exercitat.* XVII. §. 18, in fin.

16 CAP. I. *De iure circa eos, qui ad iuramentum.*

praeiudicium alterius factum fuisse, pro rerum circumstantia actio de dolo malo contra eum et cum effectu quidem institui potest. Cuius rei insigne exemplum exstat in l. 23. ff. *de dolo malo*, quae ita se habet:

Si legatarius, cui supra modum legis Falcidiae legatum est, heredi adhuc ignorantis substantiam hereditatis vltra iurando vel quadam alia fallacia persuaserit, tanquam satis abundeque ad solida legata soluenda sufficiat hereditas, atque eo modo solida legata fuerit consecutus, datur de dolo actio.

Casus, qui ab VLPIANO in hac lege proponitur, hic est: Is, cui in testamento legatum relictum est, heredem adit, eumque precatur, ut ipsi legatum soluat. Heres qui substantiam hereditatis huic ignorat, abnuit petitum legatarii, metuens, ut forte in Falcidia sua laedatur. Quando autem legatarius precibus insistit, imo et iureiurando sponte affirms, massam hereditatis sufficere ad solida legata soluenda, heres se persuaderi patitur, ut ipsi id, quod fuerat legatum, soluat. Post aliquod autem tempus, cum omne, quod est in hereditate, confert, simul animaduertit, quod testator supra modum legis Falcidiae legauerit; quaeritur nunc, quomodo ipsi succurrendum, et qua actione contra hunc legatarium uti debat heres? Et responderetur, ipsi non tantum rei vindicationem, aut condictionem indebiti competere, sed ex maxima aequitate Praetor ipsi quoque in hac lege concessit actionem de dolo malo: et ex hac quidem, ut videatur, ratione, quia legatarius heredem circumueniendo captiosis verbis, ut eo facilius illum falleret, usus fuerit. Pater hoc ex his, vbi dixerit, *satis abundeque ad solida legata soluenda sufficere hereditatem*, necessaria haec verba omittens, *salua quarta Falcidia*, quae adiicere debuisset, et cum

et cum ea non adiecerit, non immerito huc fallacie eum arguit; cui accedit, quod cum temere iurando huius religionem contempsisse videatur, iure meritoque poena adficiatur, tanto scelere digna. Caveat ergo vnuquisque sibi sedulo, ne hanc similemque in se suspicionem excitet, ne dicam perjurii crimen vere committat. Eo maior enim sequitur poena, quo maius est delictum. Poena autem, quae homini ab homine infligitur, qui poterit comparari cum illa, cui aliquando in supremo iudicio, Deo vtore ac vindice, subiicitur.

§. 6.

Sed quid dicendum de impubere, estne is admittendus, quando in iudicio ad iuramentum sponte se offert? Mouit aliquando hanc quaestionem non inelegantem ZOESIUS in *Comment. ad Tit. ff. de iureiur.* §. 5. Et cum aliorum opinionem diligenter attulerit, qui ob can. 14. XXII. quaest. 5. vbi dicuntur *non cogendi parvuli*, putarunt, in his ipsis verbis latere, quod si velint, non videantur prohibendi. Attamen negatiue quaestionem decidit ob praesumptionem iuris, eam aetatem non esse capacem iuramenti: et cum per can. 1. 4. quaest. 3. nemo ante annum aetatis XIV. ad testimonium admittatur, multo minus ad iuramentum, quod maioris est ponderis, sit admittendus. Extra iudicium autem, si quis impuberi iuramentum detulerit, et praestitum sit ab eo, etiam absente tute, illud omnino sustineri debere, putat Celeb. STRYKIVS in *Vsu Mod. ad Tit. ff. de iureiur.* §. 4. his rationibus inductus, quia causam suam meliorem reddiderit pupillus in quaerenda actione, et aduersarius sibi imputare debeat, quod cum iurantem admiserit, l. 26. pr. ff. de iureiur.

C

CAP. II.

CAPVT II.**§. 1.**

Cum his, quae haec tenus a nobis dicta fuere non male congruit materia de testimoniis dicendis, cui propterea pertractandae praesens Caput destinauimus. Est in iudicis receptum, ut quoties aliae probationes ad eruendam veritatem deficiunt, tories testes admittantur, ad fidem negotio vel rei controversae faciendam. *a)* Quanta autem difficultate, quanto etiam saepe periculo hoc genus probationum sit coniunctum, sateri non detribebunt omnes, quibus arduum iudicis officium demandatum est. Hinc adeo frequenter exhortantur in Iure nostro, *vt non ad multitudinem velint respicere, sed ad sinceram testimoniorum fidem, eaque aliis omnibus praeferre, quibus potius lux veritatis adficit, vt est in l. 21. §. 3. ff. de test.* Certe enim in eo consistit omnis testimoniorum virtus, *vt is, qui illud perhibet, et possit et velit verum dicere.* Iudicem igitur vel maxime oportet, omnes eos a testimonio dicendo repellere, qui vel illo modo suspiciuntur ipsi videntur. *b)* In horum autem numerum praeprimis quoque referendi sunt, qui nemine postulante ad iudicium quasi prouolant, et ad testimonium sponte se offerunt.

a) De more veterum Germanorum, qui nullum fere sine testium turba perfecerunt contractum, quaedam habet B. HOFFMANNVS l. c. pag. 20. seqq.

b) Ex mente enim Illuditris LEYSERI omnia, quae in celebri hac de testibus materia occurruunt, ab arbitrio iudicis dependent, quae sententia nititur l. 3. §. 2. ff. *de test. iuncta l. 13. eod.* Hae enim leges omnem testium fidem religioni iudicantium committunt: et egregie sane totam hanc doctrinam exposuit in Vol. IV. *Mediat. ad Pand.* pag. 1161. seq.

ferunt. Tantum enim abest, ut iudex ex hoc ipso pronam eorum voluntatem agnoscere queat, ad fidem ei faciendam super factum aliquo dubio, ut potius animi leuitatem prodant, maximopere vituperandam.

§. 2.

Dispiciamus iam, quo fundamento haec nitantur. Videtur enim nobis obstat l. 11. ff. de test. ubi dicitur:

Ad fidem rei gestae faciendam, etiam non rogatus testis intelligitur.

Verum modo perpendamus, quae sit horum verborum vis, quis verus sensus, et apparebit exinde, hanc legem nobis plane non obstat. Loquitur enim POMPONIUS de negotiis extrajudicialibus, de contractibus, qui inter priuatos ineuntur, et de iis dicit, quod non opus sit, ut, si adhibeantur testes ad hunc vel illum contractum corroborandum, expresse rogentur, sed sufficere, si ex accidenti contractui adsint. Et haec tenus quidem bene. Quid autem, si in negotiis iudicialibus probatio per testes suscipienda sit? Tune certe aliud quoque ius obtinebit. Neutiquam enim in iudicio admittuntur, qui sua sponte testimonium proferunt. Noluerunt enim hoc legislatores, hanc praecipue ob causam, quia per testimonia facilitatem multa veritati contraria perpetrantur, ut ait IUSTINIANVS in l. 18. pr. Cod. de test. Imo vero videntur quoque se rei ad se non pertinenti immiscere, quod culpae aequiparatur in l. 36. ff. de Reg. Iur. c) Proptereaque non prius

C 2 admit-

e) Et ex hac quidem ratione contra eos est praesumtio. Quamvis enim alias quilibet praesumitur bonus et praesumtio semper fit in meliorem partem: hic tamen aliter disponit Ius Ciuale, quod nec in totum a naturali recedit, nec per omnia ei seruit; sed interdum illi aliquid addit aut detrahit per

l. 6.

admittendi sunt, nisi ab una vel altera parte in subsidium conuocentur, omni alia probatione deficiente.

§. 3.

Quae quidem cum in communis Praxi hucusque optimo obseruentur, nemo facile erit, qui nostram sententiam in dubium vocabit. Quando enim lite pendente, siue auctor siue reus quis sit, ad testes prouocauerit, iudex ex officio eos *citare* tenetur, qua facta citatione *producuntur*, et ut testimonium exhibeant rite admonentur. Eo ipso autem iure meritoque excluduntur omnes, quotquot legitime ad hunc actum non vocati ex proprio motu se in iudiciis sistunt, quasi eorum testimonium recusari non possit, quod tamen, vti diximus, plane non attenditur.

§. 4.

Sunt tamen etiam negotia quaedam extrajudicialia, quae necessario requirunt, vt in iis rite conficiendis testes adhibeantur specialiter rogati, neque ullo modo ab iis sustineri possunt, qui forte *eu τε παρηκμονει* ei praesto fuerint. Huc pertinet materia de testamentis, instrumentis, diuoriis, aliae. Inter testamentorum solennia praecipuum est, vt testes non fortuito accessu interuenerint, vel in transitu viderint, quid ageretur, sed ut specialiter ad hunc testandi actum sint rogati per Auth. *Rogati Cod.*

de

1.6. ff. *de Instit. et Iur.* Maiorem lucem haec accipient, si adire placuerit *Dissertationes* illustris huius Academiae Pro-Cancellarii, Dom. IOAN. FRIDER. HOMBERGK ju Vach, Patroni nostri aeternum detinenderandi, pro cuius vita et incolumentate nullo non tempore preces ardentissimas fundimus, in quarum altera de *fundamentis praeumptionum*, in altera autem de *earum concursu* quam doctissime egit, earumque genuinam indolem ac rationes elegantissime et magno cum eruditioris apparatu exposuit.

de test. Cum enim in hoc testimonio maximus subest fraudis atque fallacie timor, voluit Imperator adhiberi testes non fortuitos, sed in specie rogatos, ut diligentius ad omnia animaduerterent: et praemoniti itaque de causa, ad quam adhiberi debent, ut scilicet testamenti factio- ni intersint per l. fin. Cod. de testam. vbi dicitur, *quos ad testimonium conuocari necesse est.* Nam si casu confluxerint, aut alterius rei causa fuerint conuocati, ad testandum non sunt idonei, nisi prius, sese ad testamentum adhiberi, certiorent l. 21. §. 2. ff. *qui testamenta facere possunt.* Eadem occurrit Iuris dispositio circa instrumenta, quae super solutione conficiuntur, in Nou. XC. cap. 2. et 3. quam tamen ad alia instrumentorum genera non extendendam esse, recte monitum fuit ab Illustri LEYSERO in *Meditat. ad Pand. Vol. IV. pag. 1060.* Ita et lex 35. ff. *de donat. inter vir. et vxor.* requirit, ut diuortium secundum legiti- tam obseruationem fiat. In quo autem haec consistat, edocemur per l. 9. ff. *de diuort.* vbi PAVLLVS nullum, in- quirit, *diuortium ratum est, nisi septem ciuibus Romanis pu- peribus adhibitis, praeter libertum eius, qui diuortium fa- ciet.* In his enim aliisque casibus prohibentur omnimo- de testes esse, nisi qui specialiter sint rogati.

§. 5.

Vt igitur testimonia eorum, quos ad probationem causae nostrae adhibemus, omni exceptione maiora sint, duo haec imprimis sunt obseruanda, I. Vt in iis negotiis, in quibus testium solennitatem expresse requirit lus na- strum, quanta fieri potest circumspetione eius dispositio- nem attendamus, ne ansam praebeamus aduersariis elu- dendii atque reiiciendi eos, in quorum testimoniosis causae nostrae salutem posuimus; II. Vt vterque in foro litigan- tium sibi prospiciat, ne in numero pro se testantium quis inue-

inueniatur, contra quem excipere possit aduersarius, quod antea nominatim non sit adductus, nec ad testimonium dicendum citatus, sed iam sponte sese obtulerit, proindeque pro suspecto habendus. Quae monita nisi curae cordique nobis sint, non facile causa nostra a nobis sustinetur, quamvis non aliena sed propria culpa illud nobis obueniat.

C A P V T . III .

§. I.

Nihil sane iuri naturae tam conueniens est, quam *vt
is, qui perfectae aetatis non est, alterius tutela rega-
tur §. 6. Inſtit. de Atil. Tutor.* Quid enim magis cum naturali aequitate conspirat, quam *vt liberi, in teneri-
ma sua aetate parentibus orbat, accipient tutorem, in quo
habeant alterum quasi parentem, qui non tantum perso-
nam eorum tueatur, sed et res atque bona, quae iis reli-
cta sunt, administret: quippe neutrum ab ipsis fieri pos-
sit, cum huiusmodi aetatum fragile est et infirmum con-
ſilium, multis captionibus suppositum, multorum infidiis ex-
positum, *vt loquitur VLPIANVS in l. 1. pr. ff. de minor.*
Negari proinde non potest, doctrinam hanc de tutela ipsis principiis Iuris Naturae inniti, formam autem et ef- fectum descendere ex Iure Ciiali, quod ita disposuit et permisit, *vt vel ex testamento, vel a lege, vel denique a
iudice daretur.* Secundum hanc Iuris nostri dispositio- nem videamus iam, quid in tutori primario requiratur; cetera enim, quae ad eius officium pertinent, a scopo no- stro prorsus aliena videntur, quapropter lubenter ea su- persedeamus, ne plus iusto prolixiores deprehendamur. Ad tutoris personam igitur speciatim haec duo spectant,*

vt

vt sit rite constitutus, et a Magistratu competente confirmatus. Ad prius pertinet, vt nemo debeat huic muneri se immiscere, nisi qui vel in testamento expresse sit designatus, vel cui lex illud imponit, vel iudex demandauit: ad posterius, vt nullus ex his pupillorum negotia sibi adsciscere debeat, nisi impetraverit confirmationem, auctoritate Magistratus interposita. Magistratus enim ante decretum ex officio tenetur inquirere, a) num idoneus sit ad munus hoc gerendum, itemque animaduertere, num satis immobilium possideat, ne ex eiusmodi constitutione praecipi damnum sentiant illi, quorum maxime interest. Alterum tamen sine altero non sufficit, puta, si quis etiam Crassum aut Varronem diuitiis superaret, verum dissolutis moribus esset, aut contra, si quis probata vita, laudatisque moribus reperiretur, verum propter inopiam neque fideiussorem inuenire, neque sine periculo et proprio detimento administrationi praeesse possit; tunc sane iudex nequit munus hoc ipsi committere.

§. 2.

Si ergo verum est, vti mox adstruximus, quod tutorem nil magis quam vitae integritas, et in negotiis gerendis prudentia et in munere perfungendo fides atque candor commendet: imo, si verum est, vt Ciceronis verbis utar, *sacrum hoc vinculum, quod tutelam vocant, divabus sanctissimis rebus constare, fide et amicitia;* sequitur, quod ab hoc praecipue officio omnes sint propellendi, qui, lucro inhiantes, illud anxie quaerunt, aut vltro ei se ingerunt. Hoc ipsum etiam est, quod in Iure nostro vocatur,

a) De necessaria et diligenter instituenda hac inquisitione non inutilia quaedam monuit CHR. SPECHT in *Diff. de Tutor. et Curator.* pag. 16. seq.

catur , tutelam affectare , eosque prudenter censet tanquam suspectos ad administrationem non esse admittendos , aut vlo modo subleuandos . b) Liceat igitur nobis iam eas leges producere , quae hoc spectant . Faciunt autem ad sententiam nostram corroborandam ex l . 8 . § . I . ff . ad leg . Aquil . haec imprimis verba :

Affectare quisque non debet , in quo vel intelligit , vel intelligere debet , infirmitatem suam alii periculosam futuram .

Casus quidem , qui in hac lege a Caio proponitur , specialis est . Loquitur enim de mulione , cuius imperitia et infirmitate factum , vt mulae , quarum impetum retinere non potuit , hominem alienum obtruerint , et mulio censetur de culpa praestanda teneri . Ratio tamen decidendi , qua vitur ICtus , et quam hic apposuimus , generalis est : quapropter etiam nobis licebit , eam ad casus similes applicare . Nunc autem , vt quoque recte monuit GOTHOFREDVS ad h . l . eadem videtur esse ratio in eo , qui tutelam affectat , proinde et eadem legis dispositio . Aut enim intelligit , se vel malo animo ad tutelam accessisse , vel non posse eam ita administrare , vt muneri huic satis-

b) Legi hic merentur verba Ioach . Mynsingeri a Frundeck ad Rubric . Tirul . Institut . de suspect . tutor . ita inquiens : Minor sane plurimum , cum omnes legislatores tantam egerint curam , ne pueri in aetate pupillari , qua se ipsos tueri non possunt , vlo modo laederentur , et tam multi nunc viuane suspecti tutores , qui fiat , vt hoc iudicium adeo filescat hisce temporibus , nec vlla de suspecto tutorie causa moveatur , raro admodum perducantur in forum nostrum ? Quis enim nunc velit excusari a tutela locupletis pupilli ? Quis non potius intendat apud iudicem , se ad tutelam proximorem esse , quam aduerfarium ? Sic corrumptur hominum mores avaritia omnium vitiorum matre !

satisfiat, adeoque male fore prospetum pupillo; aut non intelligit. Si non intelligit, tenebitur nihilo minus ad damnum omne resarcendum, si quod pupillo obuenerit, quia intelligere debebat. Si autem intellegit, prorsus abstinentum ipsi fuisset a tutela gerenda, quia praeuidere potuerit, infirmitatem suam aut imperitiam pupillo periculosa futuram. Vtique igitur casu remouendus est is, qui tutelam affectando suspectus est iudici, et quidem ob elegantem rationem, quae redditur in l. vlt. Cod. *in quib. caus. in integr. restitut. necessar. non est*, et quae hic locum omnino inuenire videatur, *quia nimis satius est, ab initio rem sartam tecum seruare, quam post vulneratam causam remedium quaerere.*

§. 3.

Quoties igitur in Iure nostro de modis constituendi tutores agitur, toties quoque hoc iniungi reprehendimus Magistratibus, ut mores eorum imprimis peruestigent, nec eos statim admittant, qui se ipsos offerunt. Ita enim ipsa loquitur lex 21. §. 6. ff. de *tutor. et curat. datis.*

Semper autem maxime hoc obseruent Magistratus, ne crecent eos, qui se ipsos volunt ingerere, aut quod idem est, qui *ambiant.* Et quamuis haec lex restringenda videtur ad solos eos, qui defientibus testamentariis et legitimis tutoribus a Magistratu ex officio dantur, cum de his totus hic Titulus agat; verum quae his verbis Magistratibus inculcantur, ita nobis generalia videntur, ut quoque in iis recte obtineant, qui aut testamentarii aut legitimi constituantur tutores, puta, ut, si appareat, eos hac macula laborare, tanquam suspicione grauati a tutela iure meritoque arceantur: c) id quod ex

D

infra

c) Quid autem, si sat multum cautionis offerat, numne tunc erit

infra dicendis ulterius patebit. Liceat autem haec illustrare nunc exemplo, quod nobis praebet l. 6. Cod. de negot. gest. In ea enim ita rescriperunt Impp. Seuerus et Antoninus:

Curatorem tibi quidem patris testamento datum dicis, quod non potest videri iure factum. Quod si, ut proponis, administrationi se immiscerit, negotiorum gestorum actio tam aduersus eum, quam contra heredes eius tibi competit.

Praesens casus ita videtur conceptus. Ex testamento patris accepit filius curatorem. Iure autem? Negatur ob §. 1. Instit. de Curator. et regulariter etiam verum est ob aetiologyam maxime conuenientem, quia Curator principaliter rebus datur adultis et pater disponere de iis non potest, nisi usque ad pubertatem l. 2. pr. ff. de vulg. et pupill. substit. Datus tamen in testamento Curator a Magistratu confirmandus est per allegat. text. Institut. Sed in casu legis nostrae hoc factum non fuerat: interea tamen Curator ius sibi sumvit, quod nondum rite acceperat, et pro lubitu pupilli res gessit; propterea que de eo dicitur, *quod se se administrationi immiscerit*, et concessa est aduersus eum negotiorum gestorum actio. Et haec ipsa constitutio est, quae nostram sententiam defendit, ampliat, firmat, quippe quae nihil aliud vult, quam quod nemo debeat attentare munus, aut illi se obtrudere, nisi ab aliis dignus iudicatus fuerit, cui illud offeratur. Diutius igitur his inhaerere a scopo nostro alienum fore, cum iam aliae, eaeque elegantissimae leges iure suo explicacionem a nobis postulare videntur.

§. 4.

erit admittendus? Respondetur negando: *expedit enim pupillo rem saluam habere; quam tabulas cautionis, rem saluam fore, ut eleganter ait VPIANVS l. 5. ff. de suspect. tutor, et curator.*

§. 4

Cum his enim, de quibus hucusque sermo nobis fuit, bene coincidunt, qui in testamento tutelam sibi adscribunt. d) Quod nempe nostris temporibus tota die fieri cernimus, vt testatores non ipsi ultimas suas voluntates manu propria conscribant, sed ad eas conscribendas alios adhibeant, idem olim quoque factum fuisse non ignoramus. Nunc autem, cum leges diserte volunt, vt in testamentis sincerissime procedatur, et omnis via falsi praeccludatur, maxima sane contra eum militat praefumatio, quod vel dolo, vel minis vel precibus a testatore exegerit, vt aut hereditas aut pars eius aut legatum aut fideicommissum aut tutela denique ad eum perueniat, siquidem ex his vnum aut alterum sibi adscriptum fuisse post testatoris mortem apparet. e) Hoc crimen certe eminentioribus semper fuit adnumeratum, et sancitum est lege Claudia et SCto Liboniano, vt, qui illius participes deprehendantur, poena falsi, quae erat arbitraria, adficiantur, ceu liquet etiam ex Titulo Cod. de his qui sibi adscrib. in testam. qui totus huic pertinet. Verum cum haec omnia maioris saltem illu-

D 2 stratio

d) Ad huius §phi illustrationem insigniter facit *Diss. de his qui sibi adscribunt in Testamento ad explicationem SCti Liboniani et Edicti D. Claudi*, publice proposita Lipsiae 1731. ab *Illustri MASCOVIO*, Patrono et Praeceptore quondam nostro summopere colendo, quem vt Deus in certissimum totius Reip. litterariae emolumentum diu conseruare velit, omnes boni nobiscum exoptant.

e) Imo nec iussu testatoris heredem se scribere quis potest, nisi in subscriptione testator institutionem heredis specialiter repetierit, vt ex CARPOZOVO refert BRYNNEMANNVS ad l. 14. pr. ff. de lege Cornel. de falsis, cui adde PETR. MULLERVM in additionibus ad Struvii Syntag. Iur. Civ. ad h. t.

strationis causa necessario praemittenda existimauimus, nunc in viam redire eo tutius licebit. Quam optime enim ea locum sibi vindicant in materia, cui discutiendae in praesenti Capite studium nostrum impendimus, iis diuidicandum relinquimus, quos tanquam arbitros argue iudices veneramur longe aequissimos. Sed audiamus iam verba l. 18 §. 1, ff. de *Lege Cornel.* de *falsis*, vbi PAVLLVS ICtus inquit:

Qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripsit, et si suspectus esse praesumitur, quod ultro tutelam videbitur affectasse, tamen si idoneus esse approbetur, non ex testamento, sed ex decreto tutor dandus est: nec excusatio eius admittetur, quia consensu videtur voluntati testatoris.
Tria potissimum huius legis videntur esse momenta, quae quidem distincte erunt a nobis enucleanda. Et primum quidem hoc est, quod, qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripsit in testamento, non sit admittendus ad tutelam. Siue is igitur probaverit etiam, iussu ac voluntate testatoris id factum fuisse aut saltem sine ullo ipsius facto intercedente, siue non; frustra haec ab illo sincipientur. Adiecit enim prudentissimus ICtus rationem, quia ultro videatur tutelam affectasse, proindeque semper suspectus praesumitur. Quid autem hic aliud est affectare, quam ambire, sollicitare, petere? Fugint autem Iura nostra homines, qui munera ambiunt, sollicitant, petunt, maxime ea, quae ob onus cum iis coniunctum non tam appetenda videntur, quam vitanda potius et in quantum fieri poterit deneganda. Hinc tales omnes a munere, quod ita anxie quaefuerunt, repellunt et ad ea obeunda prorsus inhabiles eos pronunciant. Quare autem? quia Ius semper praesumit eos, qui munus aliquod affectant, vana atque turpissima lucri spe inductos. Qua suspicione, qui pre-
muntur,

muntur, nunquam admittendos censet ad officium publicum, quale est tutela, nemini profecto deferenda, quam cui patriae ciuiumque singulorum salus curae cordique est. Alterum caput hoc continet, quod, licet se ipsum tutorem adscriperit, tamen si idoneus approbetur, non ex testamento, sed ex decreto tutor dandus sit. Et haec quidem est exceptio a regula, quae vult, ut incapaces insuper fiant eius, quod ipsis fuerat relictum: his verbis autem cauetur, ut, quamvis sibi quis adscriperit tutelam, nihilosecundus apud eundem ea maneat, modo appareat, dolum omnem ac fallaciam in eo abesse, eumque constanti et perpetua voluntate testatoris fuisse designatum. Attamen non veluti ex testamento, sed ex decreto Magistratus tunc tutor constituitur, id quod hunc singularem producit effectum, ut cum antea tanquam testamentarius confirmans quidem esset a Magistratu, sed sine inquisitione, nunc autem praevia inquisitione tum in mores eius tum etiam in bona demum confirmetur. Hoc enim satis manifeste nobis indicant verba, si idoneus esse approbetur, ex decreto tutor dandus est. Ultimo loco in nostra lege disponitur, ut, si forte post obitum testatoris se a tutela gerenda excusare velit, qui eam sibi adscripsit in testamento, non audiat. Siue igitur antea iustam habuerit se excusandi causam, siue ea postea ipsi superuenierit, hoc non attenditur: et ratio quidem ex ipsis legis verbis petenda est, quae ita in fine leguntur, quia consenfisse videtur voluntati testatoris. Omne autem quod ab initio est voluntatis, ex postfacto fit necessitatis. Praesumunt potius iura nostra, ut, cum iam ex testamento tutelam adire non possit, prorsus nunc ei se subtrahere malit, quam Magistratus inquisitioni se subiicere. f)

D 3 §. 5.

f) Non absimilem casum nobis suppeditat l. 29. ff. de testam.
titel.

§. 5.

Nonnunquam autem solent homines plures affectare tutelas mediocris patrimonii, vt ab alia forte molestiori excusationem habeant, et quaestio exoritur, quid iuris in iis statuar? Respondere nobis liceat cum Modestino ICto ex l. 15. §. 15. ff. de excusat.

Est autem, quando et qui tres habet tutelas vel curas, non habet ius remissionis, puta si quis affectauerit suscipere. Iam autem et tutor, qui modici patrimonii factus est, affectasse videtur.

Siquidem constat, illud nobis non videri onerosum, quod ipsi cupide ambiuimus: ita nec is, qui, vt in hoc casu est, tres tutelas mediocres affectauit, non excusabitur ab alia quoque suscipienda. Hoc enim impedimentum, si quod est, ipse sibi creauit; hoc autem pro impedimento non habetur, cuius rei elegans quoque exemplum habemus in l. 2. §. 9. ff. si quis caution. Praeterea non tam tres tutelae, sed tria onera tutelae non affectatae praestant vacationem, vt est in §. 5. Institut. de excusat. quia magis ponderantur, quam numerantur, id quod ita accipiendum, quod numerus non tam respiciendus sit, quam potius consideranda difficultas rationum conficiendarum et reddendarum, itemque num patrimonia diuisa sint et separata, nec ne. Hinc bene etiam Paulus ICtus in l. 31. §. 4. ff. de excusat. moneret, recte facturum Praetorem, si interdum unam tutelam sufficere crediderit, si tam diffusa et negotiosa sit, vt pro pluribus cedat.

§. 6.

His igitur satis superque deductis commode iam ab hac tutel. quae ex Papiniani libris Responsorum desumpta est, qui eodem, quo Paulus ICtus in nostra lege, argumentandi modo vtratur.

hac materia recedere possemus, nisi nobis adhuc quaestio occurreret explananda, eaque nec iniucunda, nec omni utilitate in foro destituta. Agit ea de pluribus tutoribus circa eandem tutelam concurrentibus, et quaeritur, numne is recte ceteris, quotquot sint, praferatur, qui maiorem quam reliqui cautionem sponte offert? g) Sedes huius argumenti est in §. 1. *Institut. de fatisdat. tutor.* Hoc enim in dubium amplius non vocari persuasum habemus, quod nempe melius sit, ut per unum administretur tutela, quam per plures, id quod ad l. 3. §. 6. ff. *de administr. et peric. tutor.* egregie demonstrauit ICtus magni nominis Ioan. Schilterus in *Praxi Iuris Rom. Exercitatis XXXVII. §. 95. seqq.* At enim vero hoc dubium videtur, cui ex pluribus contutoribus demandari debeat tutelae munus. Allegatus textus Institut. disponit, ut alteri alter optionem relinquat, utrum velit fatis accipere, an fatisdere. Sed nos casum mutauimus, atque proposuimus tam, qui sponte maiorem cautionem, quam nemo alias offert: et ita hanc quaestionem decidendam esse arbitramur, ut is non solum utique praferendus sit reliquis, puta, si ceteroquin inhabilis non deprehendatur; verum etiam utilitas pupilli, semper promouenda et quo-vis modo augenda, illud maxime suadeat. Et hoc ipsum nec legibus nec iuriis analogiae repugnat. Stat enim pro nostra sententia l. 53. §. 3. ff. *de furtis.* Postquam enim Paulus ICtus iis, qui alienis negotiis gerendis fese

g) Dantur utique plures casus, qui eandem hanc rem concernunt, et quos ex instituto percensuit Clarissimus quondam Academiae Fridericianae Professor Iac. Fried. Ludouici in *Diss. de duobus circa idem factum concurrentibus* §. 5. seqq. verum illi omnes ad scopum nostrum ita non faciunt, quam hic, quem in textu adduximus.

sese obtulerunt, actionem furti denegauerat, ita pergit:
Eadem sunt in eo, qui pro tutori gerit, vel in eo tutores,
qui diligentiam praestare debeat, veluti, qui ex pluribus
tutoribus testamento datis, oblata satisdatione solus adminis-
nistrationem suscepit.

Cui iungatur l. 85. ff. eod. titul. Cum igitur minime negligenda sunt, quaecunque in fauorem pupillorum introducta sunt, sed potius sollicite animaduertenda; non facile quisquam a nostra sententia diuortium faciet. Accedit etiam ratio iuris, legi huic maxime conueniens. Tutor enim regulariter tantum ad dolum et latam culpam tenetur; is autem, qui administrationem, maiorem cautionem sponte offerendo, sibi vindicat, ad maiorem quoque diligentiam et leuissimam culpam praestandam obligatur: proinde sine dubio melius pupillorum rebus propicitur, si hic ad tutelam gerendam admittitur, quam quod alius ipsi praferatur.

CAPVT IV.

§. I.

Superest, ut singularia, quae occurrunt in materia de negotiorum gestione, a nobis expediantur; quae quo magis trita atque vulgaris est, eo breuiores in iis illustrandis nobis esse licebit. In genere praemonendum, quod regula *Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinet;* l. 36. ff. de regul. iur. cum grano salis sit accipienda, ut nimis eos culpados esse censeamus, qui inuitis et quandoquidem diserte prohibentibus operam et studia sua obtrudunt. Indeque ea ita tantum interpretanda, ut salua maneat negotiorum gestio, quaecunque in utilitatem

tem absentium vel ignorantium suscipitur. Verum enim si postea apparuerit, quod quis lucri proprii causa ad negotium alterius accesserit, tunc is ex hoc negotio tenetur actione directa, et dicitur *depraedandi causa accessisse* in l. 6. §. 3. ff. *de negot. gest.* Sed ad rem accedamus iam proprius. Praecipuum, quo negotiorum gestor a mandatario differt, in eo consistit, quod hic iussu ac mandato praecedente alterius negotia gerat; ille autem sponte ea in se suscipiat. Hinc diuersa plane eorum videtur esse causa impulsu: cum tamen in reliquis, quae obligationem eorum concernunt, omnimode fere aequiparantur. Siquidem enim mandatarius non solum dolum sed et culpam etiam leuissimam praestare debeat; ita et negotiorum gestor ad ea omnia tenetur. Quae doctrina quamuis permultis iisque Doctissimis Viris visa semper est aequitati naturali maxime difformis, propter eaque apud eos fastidium ita excitauit, ut omni occasione illam refutare allaborauerint; ita tamen in Iure nostro ea fundata est, ut sine temeritate eam relinquere nemo possit. a) Quod enim ad negotiorum gestorem spectat, de quo nobis in praesenti sufficit, perspicuus certe textus est in §. 1. *Institut. de obligat. quae quasi ex contr. nasc.* vbi dicitur:

Ad exactissimam quisque diligentiam compellitur redire rationem: nec sufficit talem diligentiam adhibere,

E

qua-

a) Quaecunque hac de re ex utraque parte disputata sunt, summa diligentia conciliare studuit laudatus supra SCHILTERVS libr. citat. Exercitat. X. §. 67. seq. et Exercitat. XXVIII. §. 85. seq. quem igitur prae innumeris aliis hic commendare dignum iudicauimus.

qualem suis rebus adhibere solet, si modo aliis diligenter eo commodius administraturus esset negotia.

Et cum scimus ex l. 5. pr. ff. de obligat. et action. eo nomine proditas esse actiones negotiorum gestorum, ut iis aequae inuicem experiri possint de eo, quod ex bona fide alterum alteri praestare oportet; iam dispiciamus, num promiscue omnes huic rigori iuris adstricti sint. Quod quidem cum non possumus non adfirmare, placet tamen, illud ipsius legis, quam nostris verbis exsequi. Loquitur autem l. 3. §. 10. ff. de negot. gest. hunc in modum:

Hac actione scil. directa tenetur non solum is, qui sponte et nulla necessitate cogente immiscerit se negotiis alienis, et ea gessit; verum et is, qui, aliqua necessitate urgente, vel necessitatis suspicione gessit.

Vt proinde ex his appareat, miseram plane eorum esse conditionem, qui in aliorum negotiis gerendis studium et operam collocant; quam tamen non miseram esse, tunc contendimus, si ex fide et omni qua debent cura atque diligentia ea gerant.

§. 2.

Sed occurruunt nobis iam speciales quidam iisque insignes casus, in quibus animaduertere licet, Ius Ciuale nostrum non fauore eos prosequi, qui sponte interdum et temere aliorum negotiis sese ingerunt; sed summo potius rigore eos persequi. Primum exemplum nobis praebet l. 23. ff. de negot. gest. vbi Paulus inquit:

Si quis

Si quis negotia aliena gerens indebitum exegerit restituere cogitur: De eo autem, quod indebitum soluit, magis est, ut sibi imputare debeat.

Et sane non iniqua haec videtur dispositio, quod in hoc casu ipsi denegatur contraria actio aduersus eum, cuius res gescit, et cuius nomine pecuniam, quam tamen non debebat, soluit. Hoc enim sibi imputet, ceteroquin nemini, quod tam promptus atque paratus fuerit in soluendo eo, quod altioris erat indaginis, neque maiorem adhibuerit industriam in inquirendo, numne etiam illud reuera debeat, cuius personam atque partes tuendas in se suscepit. Quae quamvis ita sese habeant, nulli tamen dubitamus, quin aliud remedium ipsi supersit, quo cum effectu vti possit, si nempe directe agat contra eum, cui ex errore pecuniam soluit, eiusque restitutionem Conditione indebiti in foro competente instituta ab eo petat.

§. 3.

Magis certe vulneratam dicamus an desperatam causam habet is, cuius exemplum nobis proponit Iustinianus Imper. in l. 24. Cod. de negot. ges^t. Quaestio eoredit: *num is, qui nolente et specialiter prohibente domino rebus eius sese immiscuit, possit repeterem fumitus, post dominii prohibitionem in res eius factos?* In qua decidenda veteres ICTos iam in diuersas partes abiisse, ipse Imperator perspicue indicat: verum auctoritatem suam interponens sanxit, et edixit, vt Saluii Iuliani ICTi sententia obtineret, qui statuit, *nullam esse aduersus dominum actionem scil. post denuntiationem, quam ei dominus transmisserit, non concedens ei, res eius attingere, licet bene ab eo*

E 2

ges^tac

gestae sint. Sed, quid deinde, pergit Imperator, si dominus adspexerit, ab administratore multas expensas utiliter factas, et tunc dolosa ad simulatione habita cum prohibuerit, ut neque anteriores praefest? Et ex responione, quae iam sequitur, videre nobis licet, Imperatorem nostrum a protegenda tanta malitia abhorruisse, imo potius personam, quam summa cum laude sustinet, sacerdotis iustitiae induisse. Quod, inquit, nullo modo patimur, sed ex quo ea testatio ad eum facta est, vel in scriptis, vel fine scriptis sub testificatione aliarum tamen personarum; ex eo die pro faciendis meliorationibus nullam competere actionem. Super anterioribus autem, si utiliter factae sunt, habere eum actionem contra dominum concedimus sua natura concurrentem.

§. 4.

Restat, ut tribus saltem verbis attingamus materiam de Procuratoribus, qui nisi vel mandarum vel praesentis domini auctoritatem habeant, de rato satisdare coguntur. Ita denuo Imperator Antoninus Pius l. 1. Cod. de Procurat. decreuit, cautionem ratificationis tunc praestandam esse a Procuratoribus, quoties incertum est, an ei negotium mandatum sit. Ex quibus verbis bene colligunt Doctores, quoties evidenter constet, eum non posse unquam exhibere mandatum, toties quoque non sit audiendum, etiamsi de rato satisdare velit: itemque nec ab eo exigendam esse hanc cautionem, si pro eo faciat presumptum mandatum, ut fieri solet quotidie in personis

con-

coniunctis, quae etiam sine mandato admittuntur. Quanto magis igitur cum iis ita procedendum erit, qui absentis rei defensores se sistunt, et vltro liti se ingertunt, de quibus agit §. 5. Institut. de satisdat. vbi dicitur:


Si vero reus praefto ex quacunque causa non fuerit, et alius velit defensionem eius subire: nulla differentia inter actiones in rem vel personales introducenda, potest hoc facere: ita tamen, ut satisfactionem iudicatum solui pro litis aestimatione praefet. Nemo enim secundum veterem regulam, vt iam dictum est, alienae rei sine satisfactione defensor idoneus intelligitur.

Potest enim quilibet se ad defendendum reum absentem vltro offerre, siue in rem sit conuentus, siue in personam, vnde quoque voluntarius siue spontaneus defensor dicitur. Non tamen aliter admittere eum volunt leges, nisi satisfactionem praefet*iudicatum solui*, quod ita intelligendum, imprimis in actione reali, ut non modo caueat de soluendo eo, quod fuerit iudicatum; sed et de damnis, vbi succubuisse, resarcendi: et in hoc casu nec actio ex stipulatu, nec actio iudicati in dominum datur per l. 28. ff. de Procurator. Si vero vltro quis in se suscepit defensionem praesentis, qui proprio cognitor dicitur, tunc non ipse cogitur satis dare iudicatum solui, sed dominus litis per l. 10. ff. *judicatum solui*.

§ . 5 .

Sed haec pro instituti ratione iam sufficient. Et cum ea non pro materiae dignitate, sed pro exiguo virium nostrarum modulo exhibuimus; ita Humanissimos Lectores obnixe rogamus, vt hisce conatibus fauere, eoque ipso nos ad maiora quaevis beneuole excitare velint.





Barberg Diss., 1744

Sa

ULB Halle
004 989 023

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
EO QVOD IVRIS EST CIRCA EVM
QVI SPONTE SESE
OFFERT
IN IVRE

1744, II.

QVAM

SVB AVSPICIIS CLEMENTISSIMIS
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI FRIDERICI
HAASSAE LANDGRAVII RELIQ.

EX AVTORITATE ET DECRETO
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORIS RITE CONSEQVENDIS
EXCELLENTISSIMORVM ACADEMIAE PROCERVUM
BENEVOLO EXAMINI

DIE VI. FEBR. MDCCXLIV.

H. L. Q. C.

PUBLICE SUBMITTET
IOANNES WVNDERLICH
HAMBVRGENSIS.

MARBVRGI CATTORVM
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI. Acad. Typ.